



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De prædicamento in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

LIBER TERTIVS.

*De predicamentis entis incorporei præcisive sumpti,
sive entis ut sic.*

TRACTATUS I.

De predicamento in communi.

CAPVT I.

*Quid sit predicamentum, & quæ in eo
collocentur.*



PRÆDICAMENTVM nobis idem, quod Græcis cathēgoria, trifariam sumi consuevit: Primum pro prædicatione, siue actu interno, vel externo, quo vnum de alio prædicatur; qua ratione ornamentum significat, non tam id, quod ornatur, quam actum ipsum ornandi, siue id, quo aliud ornatur. Secundò pro eo, quod prædicatur, siue pro supremo aliquo genere hand secus, ac segmentum, siue fecamentum, non tam sectionem, quam id, quod refecatur ex prima institutione significat. Tertio pro serie illa prædicatorum, quæ à supremo genere inclusiue, vt aiunt, ad indiuiduum, & ab indiuiduo ad supremum genus cuiusdam stemmatis instar ascendit, atque descendit. Prædicamentum in prima significatione expeditum est à nobis libro quarto Dialecticæ, si non omnimodis; at magna ex parte: quod autem illius ita sumpti superfluit, dedimus Dialecticæ lib. 9. At in duabus posterioribus prædicamenti significationibus id discutiemus in huius lib. 3. metaph. decursu; & quidem exactè, & quod aiunt, fuso calamo: plura enim longioris operis, & spiritus continet.

2 Porro autem prædicamentum, siue pro prædicato generali, siue pro serie prædicatorum usurpatum iterum dupliciter accipi potest, ac debet; physicè nimirum; ac metaphysicè: Prædicamentum metaphysicè sumptum est illud, quod creatori, & creaturæ commune est, & non minus illum, quàm hanc comprehendit: metaphysica enim prædicata Deo, & creaturis communia suo sibi iure vendicat: vnde prædicamentum eo pacto commune rite metaphysicum appellatur. Eum autem prædicamenti vsum abusum non esse, & probatissimis auctoribus merito placuisse, hunc in modum ostendo.

3 Prædicamentum propriè sumptum dici potest genus aliquod supremum, vt ex nuper prænotatis claret: at Deus est sub eiusmodi genere: ergo & sub prædicamento: minor suadetur: Deus est substantia, & sub ea continetur, sed substantia respectu Dei, & creaturæ genus est: siquidem genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: substantia autem à Creatore, & creaturis abstracta eius est particeps definitionis: prædicatur enim de pluribus, Deo videlicet, & creaturis; Deusque & creaturæ speciem differunt, cum non sint eiusdem speciei, sicut

Petrus, & Paulus, vt luce clarius: substantia quoque prædicatur de illis in quid, siue essentialiter, quando tam creatori, quàm non paucis creaturis est essentialis, quod sint entia per se, & non in alio: quid ergo substantiæ ita abstractæ deesse potest ad rationem generis, atque adeo prædicamenti? Dices vniuocationem. Verùm in primis aliquam haud requiri ad genus existimant, & quantum mea opinio est, non improbabiler. Deinde, quod ens sit vniuocum contemplatione Dei, & creaturarum infra lib. 5. tract. 2. ostendetur: substantiæ autem vtrinq; abstractæ vel porior est ratio, vel certè eadem.

4 Rursus argumentor secundo. Deus est Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva: sed Paternitas est essentialiter relatio, quod ei cum Filiatione, & Spiratione commune est: Deus ergo est essentialiter relatio: hæc ergo essentialiter, & in quid de Deo, & creaturis prædicatur, sicuti ad rationem generis oportet, ac proinde Deus, sub genere, ac prædicamento ad aliquid cohibetur. Præterea tertio: Deus est suum velle, siue sua volitio, sed volitio Dei efficax ad existentiam aliquius creaturæ terminata, lataque est actio productiua illius, vt in physica demonstratum est: actionis ergo prædicamentum, genisive, Creatorem, non minus, quàm creatoras comprehendit. Vltèrius quartò; Deus est suamet immensitas, suæque æternitas: at immensitas per quam Deus est vbique, siue nullibi non est, eo ipso est essentialiter vbi; & æternitas, beneficium cuius est semper, siue quodocunque, est essentialiter quando, vt ipsas voces, quarum priores includunt posteriores expendenti perspicuum erit: Deus ergo essentialiter est vbi, & quando: quapropter vtrumque prædicamentum hoc Creatorem complectetur, & creaturas.

5 Tandem argumentor auctoritate: Namque Aug. lib. 5. de Trinitate, cap. 7. de Patre æterno sic fatetur: *Relatiue autem negamus dicendo, non Filius: relatiue igitur negamus, dicendo non genitus: ingenitus porro, quid est nisi non genitus? non ergo receditur à relatione prædicamento, cum ingenitus dicitur: sicut enim genitus non ad seipsum dicitur, sed quòd ex genitore sit, ita cum dicitur ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quòd ex genitore non sit, ostenditur: in eodem tamen prædicamento, quod relatiuum vocatur, vtrique significatio vertitur. Vbi Pater, quatenus ingenitus adstruitur esse in prædicamento relationis. Ad finem etiam eiusdem capituli septimi, sic habet: Quapropter illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicit præstantissima illa, & diuina sublimitas substantialiter dici, quod autem ad aliquid non substantialiter, sed relatiue, tantamque esse vim eiusdem substantia in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vt quidquid de singulis ad seipsum dicitur, non pluraliter in summa sed singulariter accipiat. Vbi Deum esse in prædicamento substantiæ asseritur satis liquido.*

6 Idem Augustinus eiusdem libri cap. 8. postquam docuit, nonnulla prædicamenta de Deo solum translatiue dici, subinde addit, prædicamentum tamen actionis de eo propriè, ac non per translationem dici, imo

imo principalis, quàm de creaturis, Quod autem, inquit, ad faciendum attinet fortassis de solo Deo verissime dicitur: solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur quantum ad eius substantiam pertinet, quia Deus est. Inferius quoque cap. 10. sic loquitur: Hoc & de bonitate & de eternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino predicamentis, quæ de Deo possunt pronuntiar, quod ad seipsum dicitur non translatè, ac per similitudinem, sed propriè, si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest. Quibus verbis luculenter perhibet, multa predicamenta de Deo propriè, & non metaphoricè dici. Conditio autem postremo loco adhibita, non eo valet, ut aliquid à nobis de Deo strictè propriè dici nequeat secundum Augustinum, cum contrarium certissimum sit, nec minus exploratum, quàm quòd Deus sit vera, ac propria ratione ens à se, infinitum, æternum, immensum: sed enim adicitur ea conditio, ut creatoris magnitudinem rethoricè extollat.

7 Augustino consentit Damascenus lib. primarum institutionum c. 7. ibi: Substantia, quæ continet super substantialiter increatam deitatem cognoscibiliter autem, & continuè omnem creaturam, generalissimum genus est: Et mox ibidem: Huius autem summi, primique generis species sunt id, quod corpore vacat, & corpus inanimum. Ac non multò post: Complectitur enim essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, demonem. Idem sentit Boëtius lib. 1. de Trinitate, cap. 12. cum aliis Patribus. Idem Aristoteles 1. ethicorum cap. 6. Cum bonum eodem modis dicatur, quot illud, quod est, nam & in substantia dicitur, ut Deus & mens, &c. & quarto topicorum cap. 2. & 12. metaph. cap. 3. text. 50. Aristotelem sequuntur complures magni nominis scholastici; Gregorius in primum distinctione 8. quæstione 3. Holcot quæst. 6. Marfilus quæstione 12. Baconius distinct. 9. quæst. 1. Ochamus & Gabriel distinctione 8. quæst. 1. Huradus disp. 9. metaphys. sect. 5. Arriaga disp. 3. sect. 2. Optima autem ratione nixi sunt hi auctores: decuit enim seriem quandam prædicamentalem Deo, & creaturis cõmunem assignari, quo nimirum appareret inde, quidquid à Deo creatur, eius habere participationem aliquam, & similitudinem, eoque magis esse perfectum, quò magis eius perfectionem imitatur: proinde Deum esse operum suorum, non tantum causam efficientem, sed etiam exemplarem, absolutamque regulam, & mensuram. Quanquam in eo hi Doctores mihi displiceant, quòd eorum non pauci negare videantur, prædicamentum aliud admittere sensum iuxta quem Deum non admittat, oppositum enim iam iam patefiet.

8 Prædicamentum ergo physice sumptum est, quod res physicas, ac naturales, siue creatas complectitur, Creatorem verò, ac naturæ artificem excludit. Ita Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ cap. 2. Nominè & verbo ea exprimentur, quæ sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur: sed, quod ex his nullum propriè Deo conveniat, manifesta ratio probat: nam si dixerimus, quòd Deus substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuat, & per quam omnes res esse habeant, mox vniuersalia, & indiuidua, de quibus substantia prædicatur, genera, & species, in quibus versatur, simul & nouem accidentia, quæ ei necessariò inhærent, animo occurrunt quæ cuncta, liquet quia minime in Deum concurrunt. Ita etiam Claudianus Mamercus, Viennensis Episcopus lib. 1. de statu animæ c. 19. Ex illis Aristotelis categoriis nulli prorsus subiacer essentia diuina, nam de Deo non dicimus, qualis est, quia non potest comparari, quasi ad aliud, ut dicatur talis est, nec dicimus, quantus est, quia non

mole magnus est: nec quid habet, quia nihil non habet: nec quomodo est, quia ipse modus est: nec habitum eius inquirimus, quia continet omnia. Nec locum, quia non nisi corpus in loco est: nec tempus, quia sempiternitas est; nec actum, quoniam quietus agit. Nec passionem, quia non patitur: iam decima, imò prima est ipsa substantia, de qua hæc prædicamenta texuntur. Ita etiam Boëtius 1. de Trinitate, cap. 5. & 6. Decem omnino traduntur prædicamenta, quæ de rebus omnibus prædicantur, substantia, quantitas, &c. At hæc, cum quis in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt. Ita denique, ut alios Patres omittam, Anselmus in monologia cap. 26. Quomodo quis summam naturam in aliarum substantiarum tractatu contineri intelligit, quæ neque in plures substantias se diuidit, neque in unam cum aliqua alia per essentia communicationem se colligit?

9 Prædicamentum hac ratione sumi posse & solere, præter adductos Patres, tenent cum B. Thoma, Capreolus, Ferrara, Caietanus, ac cæteri ferè Thomistæ: cum Scoto Bassolis Lichetus, ac reliqui eius sectatores. Item Bonauentura in primum distinct. 8. artic. 1. quæst. 4. Albertus art. 32. Richardus art. 4. quæst. 2. Agidius art. 1. quæst. 3. Argentinas quæst. 1. artic. 1. Henricus in summa artic. 26. & Magister ipse lib. 1. sentent. dist. 8. Rursus Vasquez 1. p. disp. 22. cap. 3. Rubius in prædicamentis cap. 5. quæst. 2. num. 3. 1. Conimbricenses ibidem cap. 4. quæst. 2. art. 2. 5. septima conditio. Denique, ut antiquiores referam, Mercurius Trismegistus in Epimandro cap. 1. Auicenna 8. metaph. cap. 4. atque, ut testatur Picus Mirandulanus de ente & vno, veteres omnes peripathetici. Optimo autem fundamento moti sunt præfati auctores, alique, quos esset referre molestum: siquidem decuit assignari seriem aliquam prædicatorum, quæ in imperfectionem aliquam concerneret, quæque creaturarum propria esset, & quorum nullum de creatore diceretur, ut constaret inde, quam difficile à nobis assequibilis esset, quamque in diuerso ordine à creaturis, iisque superior: ea autem prædicata communia, & notissima eo ipso per antonomasiam prædicata, seu prædicamenta dici non incongruè potuere, quòd reliqua prædicata de creaturis enuntiabilia vniuersalitate excellerent. Cæterum auctores commemorati in eo mihi displicent, quòd aliam prædicamenti acceptionem, & fortasse magis propriam à nobis nuper explicatam inficiuntur.

10 Operæpretium autem erit, prædicamenti physice sumpti conditiones, sin minus explicare, at indicare saltem, atque in transcurso delibare. Octo ergo à philosophis enumerantur; tres ex parte vocis significantis, & quinque ex parte rei significantæ: prædicamenta enim non sunt res præcisè, sed prout per voces, & conceptus significantur, ut Augustinus de categoriis cap. 3. rectè animaduertit. Idcirco autem prædicamentum physice sumptum conditiones eas sibi vendicat, non verò metaphysicum, quia hoc velut magis abstractum, quàm illud (metaphysica enim abstractio aliàs etiam dici solet omnium maxima) tot legibus, & conditionibus adstringi neutiquam sustinet. Prima ergo conditio est, ut vox sit vna, non solum sono, quod parum refert, verum etiam significatione, defectu cuius conditionis æquiuocum omne, quale est canis, verbi gratia, in huiusmodi prædicamento non est. Secunda conditio est, ut vox sit simplex, defectu cuius conditionis animal rationale, alique id genus à prædicamento physico sunt expungenda.

11 Tertia est, ut vox accommodatum, congruumque significandi

significandi modum sibi vendicer, id est, ut accidentia in abstracto, & substantiæ in concreto nominentur; qua ratione iustitia, & non iustus est in prædicamento, quo de loquimur; contra verò homo, non humanitas in eo esse censetur. Circa tertiam hanc conditionem, & ex parte vocis postremam animaduertere est diuersas esse auctorum sententias. Cardinalis enim Toletus in postprædicamentis quæst. 2. Niphus lib. 5. metaphys. quæst. 3. & quæst. 7. atque quidam alij censent, sola accidentium concreta collocari in prædicamento quomodolibet sumpto, & in eo, nec physice, nec metaphysice (haud enim hanc distinctionem agnoscunt) vsurpato abstracta accidentium habere locum: Contra verò sola eorum abstracta poni in prædicamento absolute, & nullatenus concreta tradunt Auicenna lib. 3. metaph. cap. 3. Venetus in antepædicamentis cap. 4. Villalpandus cap. de genere quæstione 4. B. Thomas opusculo 42. cap. 19. & de ente & essentia cap. 7. Sotus cap. de quantitate quæst. 1. Iauellus 5. metaphys. quæst. 16. alique Thomistæ, necnon Scotus quæst. 5. vniuersalium & quæst. 11. prædicamentorum, eiusque communiter affecta. Cæterum verius est, quod statuimus; prædicamentum distinguendum esse in physicum, & metaphysicum, in eoque priori modo sumpto collocari duntaxat accidentia in abstracto, at verò in eo posteriori modo accepto ea reperiri, nulla moderatione adhibita, & siue sint in abstracto siue etiam in concreto.

12 Quarta conditio, & prima ex parte rei significata est, ut quod ponitur in prædicamento istiusmodi, sit ens, id enim, quod non ens est, ab eo exulat, ut docet Augustinus de Trinitate, lib. 5. cap. 7. *Cum dicimus, homo est, substantiam designamus: qui ergo dicit non homo est, non aliud genus prædicamenti enuntiat, sed tantum illud negat.* Quinta conditio est, ut sit ens, non vtrunque, sed reale, qua ratione hircoceruus hypocentaurus, chimæra, & alia figmenta excludi solent à prædicamento. Sexta conditio est, ut sit ens per se, & non per accidens; quo pacto domus, respublica, & alia eiusmodi dicuntur esse extra prædicamentum. Septima conditio est, ut sit ens finitum, qua de causa Deus in omni genere perfectionis infinitus nullo genere, seu prædicamento finiri potest. Octaua, & vltima conditio est, ut sit ens completum physice: vnde excludit materiam, & formam, secus verò animal, aut viuens. Hæ autem conditiones his versiculis circumferri solent.

Vox vna, & simplex, rebus concinna locandis

Entia, per se se, finita, realia, tota.

Enim vero, ut dictum est, hæ conditiones fermè omnes sunt prædicamenti physice sumpti: namque si metaphysice accipiatur, & altius verticem attollat, eas respiciet, & infra se respiciet, despicietque. Siquidem hæ prædicationes sunt veræ: canis est substantia; animal rationale est viuens, corpus, adeoque substantia; humanitas est substantia, & non accidens, album est accidens, & vera qualitas eius, de quo enuntiat, exercitus est substantia, prout hæc abstrahitur à per se, & per aggregationem, siue est collectio plurium substantiarum, aut certè est relatio quadam earum ad finem quendam, Deus est substantia, est relatio, actio, vbi, & quando, materia, & substantia, anima rationalis est iridem substantia. Quæ cum ita sint, octo supradictæ conditiones, demptæ quarta, & quinta, haud requiruntur, ut aliquid sit in prædicamento, substantiæ, relationis, qualitatibus, actionis, durationis, vocationis aliove vilo: sunt autem requisitæ, ut sint in eo, siue sub eo physice sumptæ: non ergo, ut sub illo metaphysice vsurpato

cohibeantur. Idcirco autem exempta est quarta, & quinta conditio, quoniam prædicamentum quocunque modo sumptum perinde est, atque supremum genus, genus autem in carentiis, ac non entibus, & figmentis nullum habet locum, ut demonstratum est in Dialect. lib. 9. tract. 1. cap. 8.

CAPVT II.

Repelluntur obiectiones quadam aduersus doctrinam præcedentem.

13 **C**apite superiori quatuor potissima asseruimus, quæ ab aliis, aliisque diuersarum sectarum philosophis reici solent. Prima assertio fuit, prædicamentum ita sumi posse, ut in eo Deus constituatur. Secunda assertio; ita etiam illud sumi posse, ut ab eo Deus excludatur. Tertia assertio, tum abstracta, tum etiam concreta accidentium in prædicamento quodammodo collocari. Quarta, & postrema assertio fuit, concreta accidentium à prædicamento quodam eius arctiori sensu prorsus ablegari, & abstracta solum admitti.

14 Contra primam ergo obiectionem obiici consuevit. Si Deus esset in genere, siue prædicamento, haberet partes, quibus componeretur, genus videlicet, & differentiam eius correlatiuam: & rursus in eo locum haberent actus, & potentia, cum genus sit in potentia ad plures differentias, & differentia, qualiscunque sit, quasi actus, & determinatio generis. Cæterum facile dici potest, nullius esse incommodi, quod Deus compositionem, ac potentialitatem secundum quid, ac solius rationis ratiocinata admittat, vti non est absurdum eius vnitatem, ac summam indiuisiōnem, nihilominus in plures formalitates ratione nostra distingui: eiusmodi autem compositionem, ac potentialitatem duntaxat, & non aliam realem, ac magis propriam sequi ex eo, quod Deus sit in genere, & prædicamento.

15 Obiici secundò solet: si Deus foret in prædicamento, eius esse, & essentia realiter distinguerentur, consequens est absurdum: ergo, & illud vnde sequitur. Verum absque vilo fundamento hæc exigitur ad prædicamentum conditio: tum quia nullibi, & ne in creatis quidem, esse, & essentia simpliciter & actu talis sunt realiter distinctæ: tum etiam, quia, tamen si alicubi ea conditio subsistat, locumque habeat, nescio tamen, cur vbi desit, propterea prædicamentum ut desit efficiat. Tertio argui solet: Deus est infinitus: ergo prædicamento aliquo claudi, aut finiri non poterit. Cæterum claudi, siue finiri prædicamento, aliquave ratione communi, siue generica per intellectum abstracta, duntaxat est finiri secundum quid, & ratione nostra, quod infinitati Dei, quid detrahare, aut ad eam adicere, quid eius oppositum potest? Quarto argui solet: ad prædicamentum oportet, ut sit conceptus vniocè communis: at Deo, & creaturis nullus conceptus vniocè communis esse potest: nullum ergo prædicamentum hæc illumque complecti poterit. Sed minor est falsa, ut patebit in loco, & maior difficilius probari potest, quam negari.

16 Quintò opponi consuevit. Plus differunt Deus, & Angelus, quam quantitas, & qualitas: sed hæc non spectant ad idem prædicamentum, sed duplex constituunt: fieri ergo nequit, ut Deus, & Angelus ad idem prædicamentum substantiæ attineant. In primis argumentum manifestè retorquetur plus dissident gratia habitualis, & caliditas, quam actio, & passio, cum hæ interdum sola ratione distinguantur, illarum verò altera

altera sit non solum realiter distincta ab altera, verum etiam in diverso ordine, vnaque naturalis, & alia supernaturalis: sed gratia habitualis, & caliditas ad idem predicamentum qualitatibus pertinent, cum tamen actio, & passio diversa predicamenta constituent. Deinde absolute respondeo; sicuti Deus, & Angelus sunt in eodem predicamento substantiae, ita etiam quantitas, & qualitas ad idem predicamentum accidentis, vel si maius, forma, prout à substantiali, & accidentali abstrahentis, attingere possent, si Aristoteli libuisset: & sicuti quantitas, & qualitas diversa predicamenta efficiunt, ita similiter Deus, & Angelus duo predicamenta, nempe spiritum completum creatum, & spiritum completum, & increatum possent conflare, si philosophis hac predicamentorum divisio pro eo, ac potuit placeret: atque hoc solum convincit maior illa diversitas Dei, & Angeli, quam quantitatis, & qualitatibus in argumento opposita. Verum de facto, ut aiunt, ea predicamentorum distributio Peripateticis non arruit, ut constabit inferius.

17 Sexto opponi solet: quidquid collocatur in predicamento, aut est genus, aut species, aut individuum: At Deus non est genus, nec species, ut certo certius: non etiam individuum: hoc siquidem prout tale convenit cum aliis in ratione specifica, siue est cum aliis eiusdem speciei: huiusmodi autem convenientia Deo repugnat. At in primis falsò assumitur, Deum non esse individuum, cum sit indivisus in se, & divisus à quolibet alio: cumque de vno solo predicetur. At hoc: esto individuum subiectibile non sit, propterea quòd speciei non subiciatur; unde colligitur, eiusmodi individuum solum in predicamento collocari: aut cur in predicamento collocari non potest id genus individuum, quod de serie predicamentali rationem aliquam duntaxat genericam de se predicari exposcat, secus verò alias inferiores, & específicas, quae nequeunt ei convenire.

18 Septimo obiicitur: si Deus in predicamento esse posset, in pluribus simul non esse non posset, videlicet substantiae, relationis, actionis, durationis, ubi actionis, &c. cum horum predicamentorum rationes vendiceret: at idem nequit esse simul in pluribus predicamentis. Imbecillis ratio, ac minorem minime probans, quae tamen probationis indiga: cur enim idem sub diversa ratione pertinere nequeat ad diversa predicamenta, haud secus atque idem sub diversa ratione & respectu diversorum ad diversa predicabilia attinet, ut visere est in albo, quod comparatione parietis, accidens, & huius & illius albi reduplicatiue ut talis predicatum essentiale est generis, aut speciei.

19 Tandem obiicitur: Deus si cui predicamento subesset, praesertim substantiae: at sub hac esse nequit; nequaquam enim est propriè & rigorosè substantia, ut tradit Dionysius cap. 4. de divinis nominibus. *A substantia Deus segregatur, & est supersubstantialis.* Et Boëtius lib. de Trinitate circa medium: *nam substantia in illo non est verè substantia, sed ultra substantiam:* & paulò infra; *nam cum dicimus Deum, substantiam quidem significare videmur, sed eam, quae sit ultra substantias.* Dionysio & Boëtio concinunt alij Patres, quos, quia solet eruditione expendit Vasquez 1. parte disputatione 22. cap. 6. Deus ergo non est in predicamento substantiae, haud secus, ac homo, verbi gratia, in eo nequaquam esset, si verè, & propriè non foret substantia. Ceterum haec auctoritates, necnon, quae adducuntur reliqua, negotium non facessunt. Patres enim tum docent, Deum non esse substantiam, non de omni substantia loquuntur,

sed de ea, quae substat accidentibus, & quae est finita, & imperfecta. Pari ratione, cum Deum non esse ens, sed supra omne esse tradunt, non de ente quocunque, sed de factibili, & creato sermonem instituunt: at nos Deum in predicamento substantiae, prout hac latissime funditur, & cum ente per se recurrit perspicuè collocamus.

20 Contra secundam assertionem nostram plura opponi solent, quae tamen primam assertionem propugnant, non verò secundam oppugnant, quaeque Deum esse in predicamento propriè sumpto conuincant, secus verò, quae conuincant, aut possint, predicamentum ita sumi non posse, ut ab eo Deus excludatur. Id constabit expendenti argumenta ad initium cap. praecedentis à nobis proposita, & ratione, atque auctoritate multiplici nitentia: cuncta namque eò solum tendunt, ut Deus sit absolute, in predicamento, veluti iam dictum: hoc autem nihil impedit, quominus alius sit predicamenti sensus Deum reiciens.

21 Obiici etiam potest aduersus eandem assertionem; gratis à nobis confictam esse diuisionem illam predicamenti in physicum, & metaphysicum, ut eo colore defendi possit, Deum haud esse in predicamento, contra quam Augustinus, Damascenus, Boëtius, & alij Patres, & ante ipsos philosophorum princeps Aristoteles, eiusque discipuli censuerunt, ut ex eorum adductis testimoniis luce magis claret. Verum enim vero, si qui ex Thomistis, qui inter aduersarios primas tenent, ita arguant, meminerint vicem eis reddi facile posse: cur enim non sit ex aequo conficta, atque in quarundam difficultatum latebram quaesita distinctio predicamenti in logicum, & metaphysicum, quae tamen inter ipsos ex Caetano opusculo de ente & essentia cap. 7. satis celebris est, atque recepta? Deinde eius diuisionis sufficiens, nisi fallor, ratio cap. praecedenti est à nobis tradita. Denique potest exemplis quibusdam declarari: namque ens, ut ostendimus lib. 5. tract. 2. vno intellectu Deum & creaturas cohibet, alio verò Deum solum: substantia quoque vno sensu solum creatam complectitur, prout nimirum perinde est, atque subiectum accidentium, alio verò increatam etiam, ut constabit ubi proxime supra; ergo poterit ita predicamentum accipi, ut creaturas admittat, & creatorem excludat, necnon ita, ut non minus hunc, quam illas amplectatur.

22 Contra tertiam assertionem arguunt eius aduersarij: magis perfecta sunt abstracta substantiarum, quam accidentium: at illa non sunt in predicamento: ergo nec haec. Arguunt secundo iidem: haec praedicatio, *album est coloratum*, est generis de specie, talesque sunt aliae similes: concreta ergo accidentium sunt sub genere proximo: quidni ergo sub supremo siue predicamento. Neutra tamen obiectio est momenti alicuius. Ad primam concessa maiori neganda est minor: abstracta namque substantiarum sunt in predicamento metaphysico: quid est ergo, quapropter abstracta accidentium non sint in predicamento metaphysico, aut etiam physico, quamuis sumantur cum exclusione concretorum? Rursus: non esse in predicamento haud est argumentum imperfectionis, nec perfectionis esse in eo, veluti patet in Deo, quem predicamentum quodam sensu excludit, quodam includit: quod ergo abstracta substantiarum magis imperfecta sint quam accidentium, non arguit à fortiori, ut aiunt, haec abigenda esse à predicamento more illorum. Ad secundam similiter dicendum est, ea tantum conuinci concreta accidentium esse in predicamento, non tamen in illo, tum metaphysicè, tum etiam physicè magisque strictè

strictè sumpto: nec etiam ita, vt abstracta accidentium, ab eo sint omnimodis excludenda, cum etiam hæc prædicatio sit generis de specie, *albedo est color.*

- 23 Contra quartam assertionem opponunt, qui ei refragantur Aristotelem lib. 3. topic. cap. 1. loco tertio, & quarto ubi tradit *institum esse in genere non institum.* Deinde opponunt; concretum accidentale includere subiectum, quod est substantia, & formam, quæ qualitas, quantitas, aut aliud accidens; adeoque completi res. diuersorum prædicamentorum: qui ergo fieri potest, vt ad vnum aliquod pertineant. Sed ex Aristotele tantum colligitur, abstracta accidentium esse in prædicamento, non verò nullum eius esse sensum iuxta quem eorum concreta etiam admittat; aut, quod ferè instar est, abstracta illa sola esse in prædicamento physico, secus verò in metaphysico. Ratio auctoritati Aristotelicæ subiuncta, haud magis vrget: tum, quia concretum accidentale non semper cohibet intrinsecè subiectum, sed multoties solam formam & eius vnionem accidentalem, si vera est non paucorum sententia. Præterea etiam si includat tam formam, quam subiectum substantiale, idque non extrinsecè, & connotatiuè tantum, quid inde; sanè totum vtrinque resultans sequetur debiliorem partem, eritque censendum accidens absolute & non substantia, adeoque ad vnum aliquod prædicamentum nouem accidentium poterit spectare. Tandem si nequit attinere ad vnum aliquod prædicamentum, sit possessio peculiumque duorum: non enim magis absolum est, plura esse in eodem prædicamento, quod fatentur omnes, quam vnum esse in duobus, vt superius perstrictum, & haud ita post liquebit.

CAPVT III.

Quotuplex sit Prædicamentum.

- 24 Prædicamentum iuxta Aristotelem omnesque Peripateticos, necnon Clementem Alexandrinum lib. 8. Stromatum, Boëtium, & Claudianum cap. 1. citatos, Augustinumque, & Damascenum in Dialectica, & etiam Isidorum lib. 2. originum cap. de categoriis aliosque Patres est decuplex: videlicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs, habitus. Eandem diuisionem recentiores omnes amplectuntur, præsertim verò Ioannes de S. Thoma 2. part. Logicæ quæstione 14. art. 5. vbi de ea sic ait: *Celebris valde & antiqua est diuisio hæc in decem prædicamenta, & tot seculorum auctoritate recepta, vt de illa dubitare nefas sit.* Araujo tom. 1. metaph. lib. 5. quæst. 1. cursus Thomisticus q. 7. de ente prædicam. art. 5. Auerſa quæst. 16. Logicæ sectione 3. §. dico tertio, Murcia, Serna, & complures alij externi. Item ex nostris Cardinal. Toletus in Logica cap. 4. ante prædicamentorum, Conimbricenses in Logica cap. 4. de prædicament. quæst. 2. art. 3. Fonseca 5. metaphys. cap. 7. quæst. 2. sectione 3. Ruuius in Logica lib. de prædicamentis cap. 4. quæstione 5. Suarez disp. 39. metaph. sect. 2. & Balthasar Tellez disp. 5. 2. metaph. sect. 2.

- 25 Porro autem eiusmodi diuisio entis in decem prædicamenta ab Aristotele tradita, neutiquam est exacta ad leges bonæ diuisionis. Primò, quia non est immediata, siquidem ens in substantiam, & accidens immediatius dissecaretur, quam in quantitatem, & qualitatem, ac reliquas accidentis species. Secundò, quoniam habet plura membra diuidentia, quorum

tamen paucitas ad legitimam diuisionem apprime necessaria est. Tertio in eo peccat eiusmodi diuisio, quòd accidenti nouem prædicamenta assignet, substantiæ verò, quæ perfectior est, vnum duntaxat: cur, sicut quantitatem, qualitatem, relationem, vbi, actionem, & ceteras accidentis species prædicamenta nuncupant superioris diuisionis fautores, substantiam etiam corpoream, & incorpoream, animatam, & inanimatam, sensitiuam, & insensibilem prædicamenta esse non volunt?

26 Quarto in eo peccat ea diuisio, quod, cum membra diuidentia ratione tantum distincta complectatur interdum, vt clarebit inferius, prædicamenta tamen non plura, quam decem sint iuxta illam: cur sicut motus, quatenus per eum agens producit, speciale prædicamentum actionis constituit, quatenus verò per eum effectus producit, aliud prædicamentum, videlicet passionis; cur inquam pari ratione vbi, quatenus per illud corpus occupat locum, non producat vnum prædicamentum, & quatenus locus à corpore occupatur, aliud? eodemque ex titulo situs respectu situantis, vt sic dicam, & situati, & quando respectu temporantis, & temporati, & habitus contemplatione induentis, & induti; singula inquam horum duo prædicamenta constituerent. Quintò in eo deficit ea partitio, quòd, cum causalitatem causæ materialis, nempe passionem, velut speciale prædicamentum, à reliquis distinguat, alias tamen causalitates in idem prædicamentum confundat: cur, sicuti causalitas causæ materialis, siue passio speciale prædicamentum est, ac velut tale exprimitur; causalitas etiam causæ formalis, aut finalis, aut efficientis non sunt specialia prædicamenta, neque earum sit expressa mentio?

27 Sextò in eo deficit illa partitio, quoniam esse vestitum facit speciale prædicamentum habitus, & non esse vxoratum, non esse Regem, non esse amatum, &c. Quòd si hæc denominationes specialia prædicamenta non sunt, eo quòd omnes pertineant ad prædicamentum relationis tertij generis, videlicet mensurabilis ad mensuram extrinsecam, aut certè secundi generis, nimirum causæ ad effectum, vel è contrario; eadem profectò ratione esse indutum ad prædicamentum solius relationis attinere poterit, cum indutum à veste extrinsecè denominetur, sicut amatum ab amore, & tam sub dominio eius sit, quam vxor sub dominio, & quasi causalitate mariti. Cæterum euasiones hæc friuolæ sunt, & indignæ, quæ referantur, nedum refellantur.

28 Propterea tamen dampnandus non est Aristoteles, cum alleclis, quippe qui ens in decem prædicamenta rudi, pinguique minerua dissecare voluit, quia numerus denarius omnium numerorum simplicium maximus, & supremus ad ens, latissime fufum quodammodo explicandum accommodatior erat. Quod eò mihi videtur magis verisimile, quòd Architas Tarentinus, Pythagoreus, & more eius sectæ numerorum amantissimus, eius diuisionis primus auctor fuerit, vt tradit Mirandula lib. 4. de examine veritatis. Adice ex Ochamo 1. p. Logicæ cap. 24. & quodlib. 5. quæst. 22. Aristotelem voluisse tantum explanare decem loquendi modos, quibus decem interrogationibus vltatissimis responderi consuevit. Aut enim quaeritur de Petro, v.g. quid est, & dici solet esse substantiam, siue essentiam suam, id est hominem, siue animal rationale; aut quanta est res, aut qualis, aut quò referatur, aut quid agat, quidve patiarur, aut vbi sit, aut quando sit, aut quomodo, quove situ sit, aut quam induta sit, atque per reliqua nouem prædicamenta exactè responderetur.

Circa

Circa eandem diuisionem dubitari quoque solet, an eius membra diuideria sint realiter distincta, sic, ut nulla res simul esse queat in diuersis predicamentis, an potius aliqua distinguantur tantum ratione ratiocinata, eademque res, quod consequens est, aliquando ad multa eorum se extendat? Cuncta illa debere realiter distingui, nihilque ad duo, vel plura attinere posse tuerentur Nymphus 4. metaphys. quaestione quarta, & libro quinto, quaestione duodecima Gandauensis 3. physicorum q. 5. ad sextum, Venetus libro tertio, metaphys. cap. 3. 1. Fonseca libro quinto metaphys. capite 7. quaestione tertia, sectione prima. Aquarius dilucidatione octaua, Araujo 5. metaphys. quaestione prima, articulo quarto, Flandria 5. metaph. q. 7. Bañez 1. part. quaestione 28. articulo 2. Ioanes de S. Thoma citata quaestione 14. Log. art. 5. ad finem, Caietanus 1. p. q. 28. art. 1. & complures alij Thomistae. Contrà verò predicamenta aliqua sola ratione ratiocinata distingui, eandemque consequenter rem in pluribus esse posse, malunt B. Th. 5. metaph. lect. 9. & 11. metaph. lect. etiam nona. Capreolus in 1. dist. 8. q. 2. ad decimum octauum, & decimum nonum, Sorus q. 1. de quantitate, Soncinas, Iauellus, & quidam alij sectatores Angelici praeceptoris: quibus adde Henricum in summa art. 32. q. 5. Auerroem 5. met. tex. 14. Alexandrum de Ales ibidem, Toletum de predicam. in communi q. 3. Suarez in metaph. disp. 39. sect. 2. n. 21. Vasquez 1. p. disp. 22. n. 11. Rubium in predicam. cap. 4. q. 3. n. 53. necnon re. p. Hurtadum disp. 9. metaph. sect. 2. & Arriagam disp. 3. 1. met. sect. 1. quatenus ambo docent, actionem, & passionem, aliasque plures denominationes in diuersis predicamentis constitui solitas, nequaquam distinctionem realem admittere, quibus accedit nouissime Balthasar Tellez superius laudata disputatione 52. metaph. sect. 4. num. 8.

29 Posteriorem hanc sententiam, reiecta priori, velut magis probabilem sequor, eamque suadeo hunc in modum. Relatio similitudinis duorum hominum, quatenus talium, est in predicamento ad aliquid, necnon in predicamento substantiae, quandoquidem eius fundamentum & terminus, à quibus est realiter indistincta, videlicet duo homines, numerandi sunt in substantiis. Rursus actio, per quam causa producit effectum, & passio, per quam effectus denominatur productus à causa, nequaquam distinguuntur realiter, ut docet Aristoteles lib. 3. physicorum textu 19. utque nos ostendimus in Physic. lib. 5. tract. 3. cum tamen ambae duo predicamenta censeantur. Praeterea, ut argumentor ad homines, plures aduersariorum sunt qui durationem ab existentia, & substantia rei durantis minimè distinguunt. Vtcrius supra visum est, Deum, quantumuis vnum & immultiplicabilem, nihilominus esse simul substantiam, relationem, actionem, vocationem, hanc aeternam, illamque immensam, eumque proinde esse in diuersis predicamentis. Denique probabile est, relationem predicamentalem esse permixtam ceteris predicamentis, eaque transcendere habitudinemque actionis, verbi gratia, ad terminum, aut causam passionis ad subiectum, substantiae ad accedens, vocationis ad locum, & durationis ad tempus, esse predicamentalem, & in illo genere, quod dici solet ad aliquid.

30 Eandem sententiam probo auctoritate Damasceni cap. 33. Dialect. ubi sic habet; Oportet autem cognoscere, quod Aristoteles magnum, & paruum, multum, & paucum, maius, & minus, & paucius, & plus, & duplum, & dimidium, & talia sub ea, quae ad aliquid, ponit. Dicimus igitur posse eandem rem

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

secundum aliam, & aliam intentionem sub aliud predicamentum reduci; ut numerum, & mensuram manifestantia, quae praedicta sunt, sub quantum reducuntur, ut habitudinem autem habentia ad inuicem, & ut ad inuicem dicta, sub ea quae ad aliquid: magnum enim ad paruum dicitur, magnum, & duplum ad dimidium: similiter, & reliqua. Corpus autem secundum quod naturale est, sub substantiam reducitur: Secundum quod autem mathematicum, id est mensuratum, sub quantum.

Oportet autem (inquit idem ibidem) scire, quod & ipsa substantia ut genus, & habitudinem habens ad alterum sub ea, quae ad aliquid reducitur. Et paulò infra; Oportet autem ea, quae ad aliquid dicuntur prius sub aliud predicamentum reducere, ut secundum seipsa considerata: tum, ut habitudinem habentia ad aliud considerare in predicamento relationis.

CAPVT IV.

Difficultatibus aduersus doctrinam superiorem fit satis.

32 Aduersus id, quod primo loco diximus, entis diuisionem in decem predicamenta haud esse propriam, & exactam magna contentione insurgunt aliqui: Aristotelem, ac B. Thomam neglectos clamant, vniuersam philosophiam non solum euerti, verumetiam peruertere vociferantur. Meminerint tamen, non de numero decem praeceptorum, sed de numero decem predicamentorum controuersiam esse, eamque talem, quae absque magno dispendio tota posset à scholis ablegari. Opponi ergo solet primò: Decem communiter de quavis re interrogari, & responderi possunt, nimirum, quid sit, quanta sit, qualis sit, &c. igitur iuxta numerum harum interrogationum, & responsionum poterit ens in decem predicamenta exactè, & perfectè diuidi. Ceterum hæc difficultas superius est diluta: de quavis enim re, non solum decem, verumetiam sexcenta, aut si maius sex millia, ac plura interrogari, & responderi possunt: an ergo totidem erunt predicamenta? An non de quavis substantia quæri potest, num sit corporea, vel corporis expert, an sensitiua, vel insensibilis, &c. cur igitur plura predicamenta substantialia assignanda non sint? An non de quavis re disquiri potest, non solum, quid agit, verumetiam propter quid agit, & ad cuius instar agit? cur igitur plura predicamenta actionis, videlicet actio causae efficientis, finalis, exemplaris, formalis, & materialis assignari nequeant? Quocirca numerus interrogationum, & responsionum attendi minimè debet ad hoc, ut ens in predicamenta exactè diuidatur, aliàs eiusmodi diuisio tam vaga, & incerta erit, quam in modo interrogandi, & respondendi vagari possumus.

33 Secundò opponi solet. Dupliciter aliquid de quavis re predicari consuevit, nimirum essentialiter, aut accidentaliter: si essentialiter, est substantia: si accidentaliter, aut accidentaliter intrinsecè, vel accidentaliter extrinsecè: si accidentaliter intrinsecè, vel inheret absolutè, vel respectiue: si absolutè, aut sequitur materiam, & est quantitas, aut forma, & est qualitas: si respectiue, est relatio. Quòd si accidentaliter extrinsecè: vel accedit extrinsecus à potentia actiua, vel à passiua, vel à neutra: si ab actiua, est actio: si à passiua, passio: sin autem à neutra, vel accedit, seu conuenit

extrinsecè, per modum mensuræ quantitatis permanentis, aut successiuæ: si per modum mensuræ quantitatis successiuæ, est quando: si per modum mensuræ permanentis; vel est quantitatis permanentis absolute: & est ubi: vel quantitatis permanentis certo modo: & est situs: si nullo modo ex his se habeat, & tamen extrinsecus afficit; est habitus: tum sic: ergo iuxta hos modos prædicandi decem entis prædicamenta, non crassa, ut aiunt, minerua, sed exactè, & ad amussim censerì poterunt.

- 34 Verum hæc ratio tot difficultates, quor sunt prædicamenta, pluresve patitur. In primis falsò supponit, quod prædicatur essentialiter, esse substantiam, prout hæc ab accidenti distinctum prædicamentum est, cum esse disgregatiuum visus essentialiter de candore prædicetur, & tamen substantia non sit, aliàs candor ipse substantia foret. Rursus falsò supponit, quantitatem, & qualitatem sequi materiam, & formam, alteram hanc, & alteram illam: tum, quia qualitates Angelicæ nullam formam, & quantitates corporum simplicium, omniſque compositionis essentialis expertium nullam sequuntur materiam: in iis verò substantiis completis, quæ compositionem essentialem amant, & materia, ac forma constant, quantitas iuxta non paucos Thomistas rationi propositæ innixos recipitur in toto composito, qualitates verò non magis in forma, quàm in materia, potiusque in quantitate utriusque communi suscipiuntur: perperam ergo quantitas materiam, & qualitas formam sequi asseritur, aut certe res est magis explananda. Tum etiam, quia ubi quoque, & durare, & agere, & pari intrinsecè sequuntur materiam, necnon formam: malè igitur definitur quantitas per hoc, quòd materiam intrinsecè sequatur, & qualitas formam.

- 35 Deinde ea ratio falsò supponit, relatione intrinsecus accidere fundamento, cum potius relatio prædicamentalis, aut semper, aut multoties ei sit partim intrinseca, & partim extrinseca, ut patebit tr. 6. Præterea falsum est, sex vltima prædicamenta extrinsecè accidere, & enuntiari: siquidem actio est intrinseca agenti, aut certè passio, necnon terminus quoties in eo consistit: passio etiam, siue causalitas causæ materialis, cum posita sit in vnione materiæ, & formæ, utriusque est intrinseca prorsus, vbicatio etiam, & duratio formæ intrinseca sunt rei vbicatæ, & duranti, ut ostendimus in physica. lib. 7. situs etiam est omnino intrinsecus rei situatæ.

- 36 Vtteriùs mihi displicet ea ratio; quoniam si modi, quibus aliquid prædicari potest, spectentur, non solum decem præfatis modis, verum etiam pluribus, aut etiam paucioribus quidpiam prædicari sustinet: paucioribus quidem, ut si rem essentialiter, aut accidentaliter tantum prædicari asserat: pluribus quidem, ut si, quod essentialiter prædicatur, vel in quid complete, vel in quid incomplete prædicari adstruas, & quod accidentaliter hoc, vel necessariò, ac tanquam proprium quarto modo, vel contingentem ac sicut accidens commune. Cur ergo prædicamenta pauciora non sint, quàm decem: videlicet substantia, & accidens, vel plura, quàm decem, nimirum præter decadem vulgarem, vltteriùs substantia completa, & substantia incompleta, necnon accidens intrinsecum contingens, & accidens necessarium.

- 37 Multa alia congerit Balthasar Tellez cit. disp. 5. 1. met. sect. 3. ut defendat diuisionem illam decuplicem entis: cuncta tamen ex dictis facile possunt refelli, quatenus nostræ sententiæ repugnant, quam Huradus, & Arriaga locis cap. præcedenti laudatis, nostrique recentiores communiter propugnant. Vnde


decupla illa diuisio prædicamentorum lydio lapide examinanda non est, ut sustineri possit: & qua ratione dena prædicamenta sunt in vñ, possit cum Platone in Sophista, & Parmenide vñum rerum omnium prædicamentum, videlicet ens constitui: aut cum Xenocrate, & Andronico, quos refert Simplicius in commento prædicamentorum, duo tantum, scilicet substantia, & accidens, vel si maius ens à se, & ens ab alio: aut cum Valla tria prædicamenta, non tamen qualia ipse ineptè assignauit, nempe substantia, qualitas, & actio; nec qualia eandem sententiam sequens assignauit noster Sanctacrucianus, nimirum substantia, quantitas, & qualitas, sed ens reale ens rationis, seu fictitium, atque carentia, si quod plures existimant, & non omnino improbabiler figmenta & negationes esse possunt genera, & species: aut cum Stoicis quatuor prædicamenta, non tamen qualia ipsi curte nimis assignarunt, scilicet, substantia, qualitas, modus rei, & relatio, siue modus rei in se, & modus eius ad aliud; sed substantia, & accidens, ens à se & ens ab alio: aut cum Plotino *Æneadè* sexta lib. 2. quinque prædicamenta, non tamen, quæ ipse assignat, sed hæc: ens reale, ens rationis, carentia, substantia, & accidens: aut demum cum aliis, quos Conimbricenses 1. p. Log. q. 2. art. 3. supressis nominibus referunt, nouem prædicamenta, quippe ens reale, ens rationis, carentia, ens per se, ens per accidens, siue aggregationem, ens à se, ens ab alio, substantia, & accidens. Quòd si in hac postrema, ac superiori sententia moderatio nuper adhibita non admittatur, speciesque, & genera, adeoque prædicamenta in ente rationis, & carentia nullum habeant locum, ei substitui potest Deus, & creatura ad complendum numerum, vel quinarium, vel nouenarium prædicamentorum. De quibus, earumque diuisione multifariam, multisque aliis modis philosophari quiuisset potest: tota enim res est arbitraria.

Aduersus id, quod secundo loco statuimus, prædicamèta tantum ratione distingui posse, nec absurdum esse, quod idem aliquando sit in pluribus, opponunt aduersarij superius memorati. Prædicamèta dici solent genera primò diuersa; eorum ergo diuersitas est maxima, & realis, ac nunquam solius rationis. Deinde idem nequit esse in diuersis speciebus: quò enim fieri potest, ut suppositum aliquod vnà sit homo, & equus: nequit ergo à fortiori idem esse simul in diuersis generibus, seu prædicamentis: maior enim est distantia generum, quàm specierum: quare, si hæc non possunt eandem rem complecti, nec sola ratione distingui inuicem, multò minus id existimandum erit de generibus, iisque supremis. Tertio omne accidens, quatenus tale, inhæret, acciditque propriè alicui substantiæ, ut ex ipso vocum etymo claret: at nihil sibi ipsi potest propriè accidere, aut inhære, proinde accidens omne realiter distinguitur à substantia, atque adeo nouem postiora prædicamenta, quæ sunt accidentium, ita distinguuntur à primo, & potissimo, nimirum substantia, fierique nequibit, ut aliquid simul in hac, & illorum vñlo constituatur.

Ad primum tamen respondeo, prædicamenta dici genera primò diuersa, primitate appellante, non supra diuersitatè, quasi hæc esse debeat suprema, & maxima, sed supra genera ipsa; ut sensus sit, hæc esse prima, & valde vniuersalia: aut cum P. Suarez disp. 3. 9. metaph. sectione 2. num. 23. ea esse primò diuersa, in eo genere diuersitatis, aut distinctionis, quod participant: nam secundum illud non reducuntur ad vñum commune genus. Ad secundum respondeo, idem esse posse, & solere in duabus speciebus tantum ratione distinctis: qualitas

qualitas enim passibilis, & qualitas actiua, seu potentia, sunt iuxta Aristotelem, ac ceteros scholasticos species quædam qualitatis in communi: sed idem calor est in vtraque, prout nimirum est principium agendi in aliud passum, ac prout in suo recipitur, illudque formaliter immutat. Rursus similitudo hominis, & equi in ratione animalis, & eorum dissimilitudo in ratione hominis sunt species quædam relationis; ac idem complexum fundamenti, & termini, qui nimirum hominis, & equi est indistinctum realiter à duabus, & in vtraque consistens re vera, ut constabit inferius tract. 6. Quapropter idem etiam esse poterit in diuersis prædicamentis, seu generibus, quoties hæc contingit tantum ratione distingui, idque tam erit contingens, quam duas aliquando species esse sola ratione distinctas. Cæterum vti nequit idem esse in speciebus realiter distinctis, ut obiectum nobis exemplum hominis, & equi, ac manifesta ratio persuadet, ita similiter idem esse non potest in pluribus prædicamentis, si forte hæc reipsa, & ante operationem intellectus distinguantur inuicem, v.g. idem nequit esse actio, & qualitas per eam realiter producta, ac substantia, à qua verè, & realiter vtraque dimanat.

40 Ad postremum respondeo, nouem prædicamenta à substantia suo ordine deriuata haud esse necessario accidentia propriè talia, quæ physica dici solent, sed multoties esse posse impropria accidentia, ac Logica dicti solita: quam ob rem necesse non esse, ut substantiæ strictæ, ac rigorosa ratione inhæreant, accidenti, sicut ad realem ab ea distinctionem oportet. Sic diuinæ relationes, eiusque actiones omnes immanentes ab illius substantia sunt realiter indistinctæ. Sic etiam substantia creata, iuxta probabiliorē sententiam, est per seipsam quanta. Sic denique hominis, v.g. accidentia, & qualitates propriæ, siue passionēs dici solent risibiles & admirabiles, quæ tamen nullam ab eius substantia realem distinctionem, nullam non solius rationis admittunt. Responderi etiam potest, satis esse, ut nouem posteriora prædicamenta distinguantur realiter à substantia respectu cuius sunt propriè accidentia; secus verò ab illa, cui eorum aliqua propriè non accidentant. Quocirca relatio prædicamentalis, v.g. distinguetur realiter inadaquate à substantia fundamenti, cuius est proprium accidens, tamen si quadantenus extrinsecum; non tamen à substantia fundamenti & termini, quippe in qua realiter consistit, & cui non censetur propriè inhærere, aut accidere.



TRACTATUS II.

De prædicamento substantiæ.

CAPVT I.

In quo substantia ab accidenti differat?

1 OMNIVIS Thomistarum omnium sententia est, substantiam in eo ab accidenti differere, quod substantia nulli subiecto insit, siue inhæreat: contra verò accidens alicui subiecto inhæreat. Ita Capreolus in 1. dist. 42. q. 1. art. 3. ad 1. Caiet. lauellus, Iandunus, Herueus ac reliqui: quibus ex nostris adhæsit P. Suar. disp. 3. §. mer. sect. 2. Cæterum hæc sententia iam olim displicuit Scoto, & affectis, Auerro, Cymaræ, aliisque non paucis: & quidem merito. Primum: quia relatio similitudinis, v.g. est verum accidens prædicamentale, ut ex diuisione accidentis in nouem prædicamenta con-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

spicuum est: & tamen similitudo non inhæret alicui subiecto, sed est complexum, & aggregatum rerum similium, quæ multoties substantiæ sunt, & nulli inhærent. Secundò ad homines: quia creatio quantitatis, v.g. est accidens, & non ipsa quantitas, aut volitio Dei: rursus eiusmodi actio creatiua non est in agere, sed in termino: quorum alterum, & alteri à vero quidem, non tamen à mente pluriū aduersariorū aberrat: at ea creatio non est in termino inhætiue, sed solum adhæsiue: ergo de cōceptu accidentis non est inhærere. Minor peripicua est: quia si creatio quantitatis per seipsam essentialiter quantitati inhæreret, ab eaque tanquam à causa materiali depēderet; daretur mutua, ac reciproca prioritas, quā nimirum quantitas esset prior actione creatiua quam susciperet; & actio creatiua prior quantitate, quam efficeret. Tertio, quia inhærentia actualis nequit esse de cōceptu accidentis, ut ex mysterio Eucharistiæ constat: neque etiam inhærentia aptitudinalis de eius cōceptu esse potest: reuelat enim Deus, nullam formam actu inhærere: (Deo enim integrum esse efficere, ut nulla forma etiā modalis actu inhæreat, plerique aduersariorū censent: cur igitur id si efficiat Deus, reuelare etiā nequeat) at eiusmodi reuelatio, quæ proculdubio accidens est, nulli subiecto etiā diuinitus inhærere potest: aliās saltem ei subesse posset: inhærentia igitur aptitudinalis de cōceptu accidentis nō est.

Quartò: quia sicuti accidens aab cecidendo, siue inhærendo deriuatur: ita similiter substantia à substantando accidentibus: at de cōceptu essentiali omnis substantiæ non est substare accidentibus, ut in Deo cernere est: ergo nec de cōceptu essentiali accidentis accidere, siue inhærere; ut hæc duo coincidere largiamur: hac ratione lapsi à lædendo pede dicunt, quin tamen in hoc eius essentia cōsistat. Postremò formæ materiales substantiales accidentia non sunt; & tamen si propriè loquamur, inhærent materiæ, eique insunt: igitur cōceptus essentialis accidentis, & eius à substantia discrimen in inhærentia minimè cōsistunt. Antecedens suadetur: quia formæ materiales substantiales materiam intrinsecè efficiunt, & perficiunt: eaque intimitate, ut sine illa naturaliter esse, aut conservari nequeant: cur igitur ei non insint, atque inhæreant? Aut paulò aliter: formæ eiusmodi de potentia materiæ, nō minùs quàm accidentia educuntur: quidn igitur ei inesse, ac inhærere cēseant?

Respondet aliqui cum P. Suar. vbi suprà formas accidentales, non verò substantiales materiæ inhærere, tamen si ex ea ambq̃ educantur, quia illæ in diuerso ordine, hæc verò in eodem ordine materiā complent. Verum in primis, ideo quantitas, v.g. est accidens, quia materiæ inhæret deinde ideo potius quàm forma substantialis inhæret, quia materiam in diuerso ordine complet, & non substantia, sicut materiæ, sed accidens est: igitur inhærentia per accidens, & accidens per inhærentiam vitioso circulo explicatur. Rursus pari ratione dici posset, amorem supernaturalem, non verò amorem naturalem voluntati inhærere: quia hic in eodem ordine, ille verò in diuerso ordine eam complet. Respondent alij secundo: accidentia potius, quàm formas substantiales etiam corporeas inhærere; quia accidentia vniuntur suis subiectis per actionem eductiuam, quod tamen formæ non habent. Verum, præterquam quod omnis actio eductiua in agente resideat, & ex terminis vnitis extrinseca sit; ac proinde eorū vnio esse nequeat, ut in phys. lib. 5. et. 3. c. 3. latè edocuiimus; illud gratissimè, & absq̃ vllō fundamento assumit hæc responsio, aliquam actionē eductiuā esse vnionē sui termini, secus verò aliā quācunque: cum id habeat omnis actio eductiua, ut forma per eā educta, siue substantialis, siue accidentalis sit, materiæ intrinseca esse debeat: si quis diceret, aliquam actionem esse durationem sui termini,

1 2

minimè